



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

G
756
(1)



9756 (vol. 1)




Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)





①

Kemel

**DE CHARETE, CHAERIDE, ALEXIONE GRAMMATICIS
EORUMQUE RELIQUIIS.**

PARS PRIOR:
CHARETIS CHAERIDISQUE FRAGMENTA, QUAE SUPERSUNT.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA REGIMONTANA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXII. MENSIS NOVEMBRIS A. MCMII HORA XI
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS ADIECTIS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
RICARDUS BERNDT,
ALLENSTEINENSIS.


ADVERSARIOBUM PARTES SUSCIPIENT:
FR. ROHDE, CAND. PHILOL.
J. GORGS, CAND. PHILOL.

REGIMONTI BORUSSORUM MCMIL.
EX OFFICINA HARTUNGIANA.

~~4251.21~~

9756

RECEIVED
MAY 11 1900



Constantius Fund

372

Arthur Ludwich

Praeceptori carissimo

Sacrum

11/11/11

Quam difficile sit atque operosum grammaticorum veterum reliquias indagantibus certa ab incertis segregare, fontes eruere, suum cuique reddere, ne eis quidem latebit, qui seu primoribus labris seu opportunitate oblata per *παρέχθασιν* Graecorum technicorum vel Romanorum doctrinam attigerint. Neque mirum: considerandum est ex ingenti scriptorum numero, qui Ptolemaeorum potissimum aetate floruerunt Alexandriae, vix unum alterumve relictum esse integrum, ceterorum notitiam plerumque inclusam fragmentis paucissimis et valde pusillis — nominum grammaticorum stupemus copiam, quam exhibent indices ut Ludwichii ad Lentzii Herodianum (vol. II p. 1206 sq.), vel scholiorum corpora Homeri, Aristophanis, Apollonii, aliorum. Sed nondum omnia exhausta sunt, quae talia investigaturis obstrepunt. Saepenumero enim accidit, ut frustula artis grammaticae Alexandrinae, quae etiam nunc diem tulerunt, in scholiis glossisve dispersa temporum iniquitate vel incuria librariorum valde sint inquinata. Quo factum est, ut scriptorum memoria, qui non solum suo ingenio ceteris praestiterunt, sed etiam ex coryphaeorum grammaticae fontibus suos hortulos irrigabant, nudo nomine excepto vel prorsus interierit vel studia in peculiaribus libris aut poetarum

commentariis collocata, tam exilia, ut supra dictum est, ad nostram memoriam pervenerint, ut vixdum possit ex disiectis istis membris quicquam continuum ac perfectum conglutinari. Quae cum ita sint, multis profecto nominibus gratulandum est litteris, quod nostra aetate omnia fere ampliora grammaticorum fragmenta, quibus temporum invidia pepercit, alia ab aliis singulari scriptione collecta et disposita atque summa diligentia explicata, ex latebris scholiorum, glossarum anecdoton in lucem protracta sunt ac litteris mandata. Verumtamen multi disciplinae grammaticae scriptores restant, de quibus copiosius hucusque non actum est, quamquam humili loco non sunt habendi ex eorumque fragmentorum perscrutatione lux haud exigua ad nonnullas grammaticae rationes redundare potest. Itaque si uberiore quam quae virtutibus talium scriptorum fortasse debetur, dissertatione equidem grammaticorum quorundam reliquias, quae ad Homeri aliorumque poetarum interpretationem spectantes adhuc in scholiorum tenebris iacent, conquirere, recensere quantumque potero novi adicere conabor, spero neminem fore, cui temere egisse videar, praesertim cum usque ad hunc diem nemo, quantum scio, proprio libello illorum effigiem quasi pulvere obductam e situ in luce collocaverit clariore. Primo igitur tractare institui duorum grammaticorum fragmenta, quorum nomina *Χάρις* et *Χαίρις* haud raro in libris mss. commiscentur (v. infra cap. I), deinde reliquias Alexionis technici congerere atque adumbrare enitar, quod quoniam Baegius in dissertatione Halensi a. 1882 de Ptolemaeo Ascalonita, quocum Alexione nemo saepius in scholiis Homericis coniunctim vocatur, fusius disserendum esse arbitrabatur, eo magis hoc videbitur esse non inutile nec superfluum.

Cap. I.

**Quaeritur duo grammatici, Chares et Chaeris num
exstiterint ac quidnam utrique sit dandum.**

Jam vero antequam ad propositum accingamur necesse est accuratius inquirere, quibusnam locis codicum *Χάρης* vel *Χαῖρις* nomen legendum sit, quae adhuc est inter homines doctos controversia, quam inprimis dirimere non alienum videtur, cum omnia, quae de illorum praeceptis disputaturi sumus, pendeant ex quaestione, quid Charetis, quid Chaeridis sit, solvenda. Atque de Chaeride quidem grammatico, quem nobili Aristarcheorum contubernio viri docti adnumerare solent, postremo copiosius disseruit A. Blaius,¹⁾ cuius commentatio, quippe qui fragmenta excerpere, limitare, disponere, noluerit, nescio an iis, qui talia altius tractare consueverunt, sufficiat. Nam studiis Chaeridis singulatim pertractatis ratione, quae inter *Χαῖρις* et *Χάρης* scripturam promiscue in codicibus obviam intercedat, paucissimis defunctus est professus se existumare 'Charetem grammaticum omnino non fuisse, sed ubique pro eo Chaeridis nomen reponendum'.²⁾ Sed cave credas Blaium h. l. sententiam novam inauditamque protulisse. Jam Hullemannus, quem ignorasse videtur (nusquam enim ad eum provocat) abhinc quinquaginta prope annorum spatio idem senserat, qui cum de Charete Mytilenaeo, rerum Alexandri Magni scriptore haud ignobili, ageret, etiam ceteros, quos memoratos invenit Charetis breviter recensuit.³⁾ Atque de Charete quem aiunt grammatico, cavendum esse ab errore

1) De Aristarchi discipulis. diss. Jen. 1883. p. 56 sq.

2) l. c. p. 65.

3) Ptolemaei Eordani, Aristobuli, Cassandreensis et Charetis Mytilenaei rell. ed. J. G. Hullemann. Trai. 1844.

monet, in quem haud pauci incidisse videntur: vide, inquit l. c.,⁴⁾ ne te inducat prava nominis scriptura; *Χάρις* librariorum negligentia e genuino *Χαῖρις* manasse suspicor ctt'. Hactenus Hullemannus, qui praeter Blaium (qui inscius adstipulatur) posteros assectatores nactus est plerosque viros doctos, ut La Rochium,⁵⁾ Susemihlium,⁶⁾ Dielsium,⁷⁾ quamquam nullo tempore deerant, qui etiam Chareti loculum inter grammaticos assignarent, ut Graefenhanius,⁸⁾ vel quaestionem omnino in medio relinquerent, ut Cohnius.⁹⁾ Quae cum ita essent, Egenolfius haud immerito nuperrime monuit, ut denuo in hanc rem ratione critica inquiratur.¹⁰⁾ Ceterum Blaius ipse cautione quadam adhibita Charetem e litteris movebat; vexabatur enim praeter locum Sext. Empir. adv. math. 81 p. 616, 12 Bekk. potissimum voce ἡ δ' ὄς lexicorum, Etym. Magn., Photii, lexicis, quod vocant Bachmanni, in quibus uno tenore Charetem quendam innui videmus, cuius nomen etiam h. l. pro Chaeride irrepsisse nisi timide contendere non audet,¹¹⁾ quam rationem simplicitate commendabilem omni ex parte probari posse nunc videamus.

Ac primum quidem codices non solum *Χαῖρις* et *Χάρις*, sed etiam nonnunquam *Χάρις* vel *Χάριτα* similia suppeditare notandum est, quod quotiens evenerit,

4) p. 142.

5) Hom. Textkr. i. Altert. p. 81 adn. 147.

6) Gesch. d. griech. Litt. i. d. Alexandrzt. vol. II p. 166 sq.

7) Hermes XXVI (1891), p. 252 adn.

8) Gesch. d. klass. Philol. i. Alt. I p. 344.

9) Pauly-Wissowa R. E. col. 2130 s. v. Chares.

10) Mus. Rhenan. LVI (1901), p. 252 adn.: . . . Prüft man sämtliche Stellen, an denen *Χάρις* beziehungsweise *Χαῖρις* vorkommt, so gewinnt man den Eindruck, dass das Eigentum beider Grammatiker noch nicht deutlich genug geschieden ist.

11) l. c. p. 66.

priusquam quaestionis limina intremus nodumque solvere experiamur, praemisso indice locorum, qui tali nominum confusione laborant, legentibus breviter exponere lubet:

1. Sext. Empir. adv. math. I § 76: *Χάρης ἐν τῷ πρώτῳ περὶ γραμματικῆς*. Schol. Dion. Thr. p. 118,10 Hilg: *Χαῖρις*.
2. Schol. Apoll. Rhod. II 1052: *Χάρης αὐτοῦ τοῦ Ἀπολλωνίου γνώριμος ἐν τῷ περὶ ἱστοριῶν τοῦ Ἀπολλωνίου*.
3. Schol. Apoll. Rhod. IV 1470: *Χάρις ἐν τῷ πρώτῳ χρόνων* (fort. *χροικῶν*). *Χάρης* coni. Susemihlius of. nr. 2; *Χάρων* Spitzenerus; *Ἀντόχαρις* Muellerus; *Χάραξ* post Heringam Keilius.
4. Schol. Arat. phaen. 254. 255: *Χάρης* cf. schol. Hom. ρ 225 et σ 74. *Χαῖρις* coni. Spitznerus, Blauius.
5. Herod. *περὶ μον. λέξ.* 42,15: *ἰσίχαρις*. *Χαῖρις* ex schol. A Hom. B 311 Lehrsius; *Χάρης* Cramerus ex schol. Aristoph. Avv. 876, ubi V(enetus) habet *Χάριτα* (*χάριτ*).
6. Schol. Hom. α 58: *Χάρης* J = Vatic. 1320; *Χάρις* cett. codd.; *Χαῖρις* coni. Cobetus.
7. Schol. Hom. η 80: *Χάρις ἐν διορθωτικοῖς* codd; *Χαῖρις* coni. Boeckhius.
8. Schol. A Hom. B 865: *οἱ περὶ Χαῖρον*; *Χαῖριν* em. Villoisonius.
9. Schol. A Hom. Γ 448: *Ἀπολλώνιος ἰ τοῦ Χάριδος*; *Χαίριδος* em. Villois. et Cobetus ex schol. Aristoph. Vesp. 1239 cf. nr. 29.
10. Schol. LT Hom. Z 4: *Χάρης*; *Χαῖρις* coni. La Rochius.
11. Schol. A Hom. Z 71: *ᾠχερις*; *ὁ Χαῖρις*, em. Villois.

12. Schol. A Hom. I 605 *Χαῖρις*; *Χάρης* Etym. Florent. in Milleri Mél. de la litt. grecque p. 282,9.
13. Schol. A Hom. N 103: *Χαῖρις*; *Χάρης* cod. Reg. Paris. 2766 (Cram. Anecd. Paris. III p. 285,23.)
14. Schol. A Hom. Σ 191: *Χαῖρις*; *χαίρει* Villois. alii; *Χαῖρις* recte Dindorfius.
15. Apollon. soph. lex. s. v. *φήγη*: *Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Χάριδος*; *Χαίριδος* em. Villois; cf. nr. 9. 16. 29.
16. Apollon. soph. lex. s. v. *ῶπος*: *Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Χάριδος*; *Χαίριδος* em. Villois; cf. nr. 9. 15. 29.
17. Schol. Pind. Pyth. IV, 18: *Χαῖρις*; *μαχαιρίς* V = Paris. 2403.
18. Schol. Pind. Pyth. IV, 61: *Χαίρις* codd. praeter Laurent. 32,52 (D) et Paris. gr. 2774 (P), qui habent *Χάρης* et *Χάρις*.
- 19—25. Scholia Pind. Pyth. IV, 156. 188. 195. 259. 313. 446. 459. *Χαῖρις*.
26. Schol. Pind. Nem. I, 49: *Χαῖρις*; *Χαῖρε* D.
27. Schol. Aristoph. Avv. 876: *Χάρης* cf. nr. 5.
28. Schol. Aristoph. Vesp. 674: *Χαῖρις*.
29. Schol. Aristoph. Vesp. 1239: *Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Χάριδος* cf. nr. 9. 15. 16.
30. Schol. Aristoph. Ran. 1028: *Χαῖρις*.

Difficillimum esse ex eiusmodi turbis tricisque librariorum quasi ex inextricabili labyrintho filo aliquo Ariadnae sese expedire, viam consilii invenire satisque firma criseos argumenta petere nemini non patet. Quamquam vero irasci minime decet, quoniam facilluma est nominis *Χαῖρις* in *Χᾶρις* vel *Χάρις*, huius rursus in notissimum *Χάρης* depravatio atque propter itacis-

num, quo aetate Byzantinorum libros valde inquinatos esse constat, etiam permutationis ordo contrarius, ut *Χάρης* in *Χάρις* vel *Χαίρις* evaderet, facile ingruere potuit,¹²⁾ cuius rei nonnulla exempla splendidissima, quae mihi talia quaerenti innotuerunt quibusque fortasse in summo discrimine adiuvemur, hic brevibus subiecisse non absonum videtur: sic Schweighaeuserus apud Athen. XII p. 514 *E'* in suo codice *Χάρης* (quae forma nominis h. l. ut ceteris utique requiritur) depravatum legit in *Χάρις*, deinde in cod. Venet. Marc. 368 litt. V assignato Xenoph. Hellen. VII, 2, 18 pro *Χάρητα* vitiose legitur *Χάρητα*¹³⁾ ac perinde in Flav. Joseph. bell. Judaic. IV, 3 codd. Parisinus (P), Romanus (R), Urbinas (C), uno tenore perperam exhibent *Χάρητα* pro rectiore *Χάρητα*.¹⁴⁾ Sed haec in trans-

12) De diversis hominibus *Χάρις* et *Χαίρις* nominatis v. Pauly-Wiss. l. c. coll. 2125 et 2031 sq.

13) V. p. 268 edit. maioris. Kellerianae a. 1890.

14) Huc non pertinent, quae leguntur in bibliotheca Coisliniana olim Segueriana a Montefalconio edita Parisiis 1715 p. 489 inter iuris vocabula ordine alphabetico digesta (*δικῶν ὀνόματα κατὰ ἀλφάβητον* cf. Bekk. Anecd. Graec. p. 183 sq.) s. v. *Ὀργεῶνες*: *Χάρις λέγει ἐν τῷ κατὰ Διονυσίου*, quo nomine offensus Albertius ad Hesych. II p. 775 adn. 6 *Χάρις* scripsit, memor verborum Photii. s. v. *ἦ δ' ὄς* et Suidae s. v. *Ἀντίπατρος*, sed merito castigatus a Ruhnkenio hist. crit. oratt. apud Reiskii oratt. Graec. VIII p. 167, quod Charetem notissimum Atheniensium imperatorem (v. Pauly-Wiss. l. c. col. 2125) intellexisset. Ipse vero Ruhnkenius temere suspicatus est *Χάρις* ex *Δείναρχος* truncatum esse, quod planum facere studuit ex Dionys. Halic. in Dinarch. capp. 10. 11 (Usen-Radem. pp. 311, 16 et 312, 8) ubi Dinarchi orationes *κατὰ Διονυσίου* et *ἀπολογία Ἐβρωῶς* laudantur. Sed Morellio teste in bibl. mss. Bassani 1802 edita I p. 303 sq. in cod. Marciano 433. l. c. reapse scribendum est *Χαρίσιος* cf. etiam Bekk. l. c. p. 1440 in indice s. v. *Χάρις*. Itaque nullo pacto fieri potuit, ut hoc exemplo uteremur.

cursu dicta sufficient.¹⁵⁾ Jam longius progredientes opus est ipsum 'periculosae plenum opus aleae' nos aggredi.

Χαῖρις et *Χάρης* scriptorum nomina (num autem unus grammaticus ab altero distinguendus sit, priusquam res in apertum discrimen evaserit, in suspensio maneat, ne vitio petitionis principii commisso eventus praesumatur, — velut ii viam ac rationem, quae philologorum est, plane neglegunt, qui temere Chaeridem pro Charete substituunt) scholiis potissimum Homeri, Pindari, Aristophanis citantur iisque Pindari et Aristophanis semper fere Chaeris vocitatur, cum alioquin librarii nomina inter se conturbent. Ac de Pindari commentariis nemo — quod sciam — unquam dubitavit, quin Chaeris auctor extiterit, quod non mirum videatur, cum huc usque alia forma nominis prorsus illis fuerit incomperta atque incognita. Nunc vero increbuit¹⁶⁾ reperiri etiam in scholiis Pindaricis nonnunquam *Χάρης* vel *Χάρις* pro usitatiorē *Χαῖρις* ut *Χάρης* schol., Pyth. IV, 61 in cod. Laurent. 32, 52 (D) eodemque loco in cod. Paris. gr. 2774 (P) *Χάρις*. Sed

15) Festiva sunt nonnulla librariorum menda, quae quamvis cum hac disputatiuncula laxè cohaereant, hic subnotasse non pigebit: schol. Aristoph. Equitt. 831 exstat *Χάρης* pro *Πάχης*, Diod. XII, 35 *Κράτητος* pro *Χάρητος* (em. Boeckhius), Anthol. Planud. IV 82 *Λάχης* pro *Χάρης*, Curt. VIII, 11, 10 Charus pro Chares.

16) Arthuro Ludwich, magistro carissimo, et Julio Sziget, phil. dr., liberaliter intercedentibus mihi contigit, ut varietatem lectionum longe plurimarum Pindari scholiorum, ubi Chaeridis nomen invenitur ex Abelii illorum editoris doctissimi mss. supellectile nondum in publicum edita a Rudolfo Vári, prof. Budensi, acciperem, quibus omnibus etiam h. l. pro gravissima in hoc opusculo elaborando ope iuvat gratias agere quam maximas.

consentaneum est libris hisce inferioris ordinis omissis magis obtemperandum esse librariis potiorum codd., qui usque quaque *Χαῖρις* nomen rectissime litteris mandarunt. Quae cum ita sint, de scholis Pindari, ubi Chaeridem auctorem esse mihi persuasi, iam causa finita est.¹⁷⁾ Graviores sunt ac multo difficiliore, quae secuntur. Jam tabulam in fronte huius scriptiunculae praemissam iterum iterumque nobis circumspicientibus operae videtur esse pretium, initium disputandi facturi, ne fundamenta in aqua ponamus, ab Homeri scholiis codicis longe omnium praestantissimi Venet. Marc. 454 (A),¹⁸⁾ in quo quasi cardine disputationis, quam sumus instauraturi, nixi doctrinam nostrorum — si modo duo fuerunt grammatici — secernere conemur.

Ac primum quidem cod. Ven. A multo puriorem formam nominis servasse ac saepenumero *Χάρης* pro rectiore *Χαῖρις* in libros irrepsisse nullis gravioribus documentis comprobari potest quam comparatione schol. A Hom. I 605, ubi Aristarchi falsa vocis *τιμῆς* ut genetivi explicatione memorata scholiasta pergit ὁ δὲ *Χαῖρις βοηθῶν ἀντιῶ* (sc. Aristarcho) *κτέ* cum Etym. Magn. Florent. cod. Marcian. 304, ubi cum de eadem lectione *τιμῆς* agatur, scriptum videmus *λέγει δὲ ὁ Χάρης βοηθῶν ἀντιῶ κτέ*, in quo haudquaquam dubitari licet, utrum praefendum sit, cum etymologum

17) Nam discrepantias, quae interdum codd. insunt, ut *μαχαιρίς* schol. Pyth. IV, 18 in cod. Paris. 2403 (V) alias fortius premere supersedere mihi videor posse; certe non tangunt, quae supra exposuimus.

18) Praesto mihi promptumque erat apographum huius cod. celeberrimi nuperrime editum phototypice a Domenico Comparetti Lugdun. Bat. A. W. Sijthoff 1901, quod cum prioribus commentationis particulis tum posterioribus, ubi Alexionis studia explanantur, mihi perquam lucro fuisse summopere gaudeo.

ex schol. Homeric, quod in Veneto exstat, vel eodem fonte hausisse liquido appareat; conferas quaeso:

Etym. M. Florent. (Mill.
Mél. de la litt. gr. p.
282, 9):

Schol. A Hom. 1605 (Dind. I p. 334, 1):
τιμῆς ἔσσαι: τινὲς τὸ τιμῆς διὰ
τοῦ ἰ γράφουσιν ἀπὸ γὰρ τοῦ τι-
μῆεις. οὕτως καὶ τὴν αἰτιατικὴν
εἶπε 'καὶ χρυσὸν τιμῆντα' (Hom.
Σ 475). καίτοι λόγος ἐστὶν ὡς
πᾶσα εὐθεία ἀρσενικοῦ ὀνόματος
ἐν τῇ τελευταίᾳ δύο ἔχουσα φωνήεντα
ταῦτα ἐκφωνεῖ, χωρὶς τοῦ Θρῶξ.
οὐκ ἐπέισθη δὲ ἢ παρίδοσις.
Ἀρίσταρχος γὰρ ἄνευ τοῦ ἰ. οὐκ
ὕγιως δὲ γενικὴν ἐκδέχεται, λει-
ποῦσης φράσεως· τιμῆς γάρ, φησὶν,
ἄξιος ἔση. ὁ δὲ Χαῖρις βοηθῶν
αὐτῷ φησὶν ὅτι ἐπιφέρει οὗτι με
ταύτης χρεὼ τιμῆς.'

ἐπέισθη δὲ ἢ παρά-
δοσις. οὐκ ὑγιῶς δὲ
Ἀρίσταρχος γενικὴν
ἐκδέχεται λειποῦσης
τῆς φράσεως· τιμῆς
γάρ φησιν ἄξιος ἔση.
λέγει δὲ ὁ Χάρης
βοηθῶν αὐτῷ ὅτι
ἐπιφέρει ὁ ποιητῆς
(Il. I 607, ubi cod.
χρεῶν)

οὗτι με ταύτης
χρεῶ τιμῆς.

Hanc etymologi sapientiam ex Herodiano, cuius doctrinam scholion continet (L. II p. 68, 1) vel fortasse ex eodem scholio ipso fluxisse primo obtutu comparantibus dilucide apparet potissimum ex una verborum discrepantia ὁ δὲ Χαῖρις βοηθῶν αὐτῷ (A) et λέγει ὁ Χάρης (Etym. Florent.). Itaque Χάρης, quod hic habetur, vitium librarii et Χαῖρις ex vetustiore Veneto restituendum esse iam Millero visum est; ac

nos quoque libro A eo magis libenter principatum concedimus, quod tale librariorum mendum saepius usu venisse pedetemptim aliis exemplis quae exstant, optime demonstratur. Proxime agitur de schol. Hom. N 103, ubi inter alia legimus *Χαίρις δέ φησιν οὐκ εἶναι ἐν δισυλλάβοις ἀναλογίαν*, quam regulam non Chaeridis, sed Charetis esse Homeri quidam interpres divulgat, cuius scholia continet cod. Reg. Paris. 2766 saec. XIII, haud spernendus, ut praedicat Cramerus, in iis praesertim, quae ad grammaticam pertinent.¹⁹⁾ Nihilo setius vereor, ne in errore versatus sit, cum traderet¹⁰⁾ *Χάρης δὲ οὐκ εἶναι ἐν δισυλλάβοις ἀπολογίαν* (sic) *φησίν*, id quod si totam notationis dictionem, quae certe glossographum prodit, mittamus, maxime ex altero scholiastae vitio *ἀπολογίαν* pro Veneti *ἀναλογίαν* luculenter colligitur. Haec omnia (huc usque enim omnes mecum fecisse speraverim) oratione progrediente summi momenti fore accuratius inspicientem non fugiet. Itaque parum vereor, ne cui dementi ratione fundamenta ac primordia huius commentationum culae capitis in illo omnium Homeri studiorum praeclarissimo fonte iecerim.

Jam vero lacinias iudicii habemus. Transeat igitur disputatio ad fragmina in scholiis Aristophanis poetae recondita. Hic, ut supra vidimus, Chaeridis mentio fit ad Vesp. 672 et Ran. 1028. Sed valde quaeritur, num Blavius²¹⁾ recte ad eum delegarit tertiam observationem de *στροῦθος* vocis accentu, quae exstat schol. Avv. 876, ubi in cod. V(eneto) leguntur, ut nunc Zacheri opera confirmatur,²²⁾ haec: *ἄλλως· Ἡρω-*

19) Cram. Anecd. Paris. III p. 270.

20) l. c. p. 285, 23.

21) l. c. p. 61.

22) V. Egenolfium l. c.

διανὸς ἐν τῷ βᾶσκ' ἴθι Ἴρι ταχεῖα (Il. Θ 399) τὸν Ἐκτορα μῦθον ἔνισπε ἐπιμερισμῶ φησι τὸν Χάρिता (χάρι^r) λέγειν βαρύνειν Ἀπτικὸς στρουθὸς κτέ. Ac primo obtutu fortasse quispiam dixerit, si ea, quae supra de itacismo librariorum docuimus, meminerit, pro eo, quod est χάρι^r in illo codice Dindorfium recte legisse Χάρητα, ut Charetem grammaticum h. l. arbitraretur (quem etiam in Duebneri indice scholiorum Aristophanis a voce Χαῖρις sepositum invenies), quia difficilior fuerit nominis Χαίριδα in Χάρητα vel Χάρिता mutatio. Nemp̄e Cramerus²³⁾ Aristophanis scholio, de quo agimus, ductus Charetem restituit loco quodam, ex quo illud desumptum est, Herod. de solit. dict. p. 42, 14; namque ἰσίχαρις, quod cod. h. l. exhibet, ineptum esse et valde corruptum, non est, cur pluribus moneatur.²⁴⁾ Contra Blauius l. c. Lehrsio praeunte²⁵⁾ schol. A Hom. B 311 ignoti quidem auctoris sed partim, ut patet, et ipsum ex Herodiano depromptum, ubi Χαίριδι haec eadem assignantur, secutus Chaeridis nomen non solum in Herodiani libello περὶ μὲν λέξ., sed etiam in scholio Aristophaneo latere procul dubio statuit. Qua in re difficillima haud difficile est iudicium tollere, si normam supra propositam tenemus. Namque ex Herodiani testimonio, cuius librum de vocabulis monadicis multis variisque mendis contaminatum mutilo ac parum accurato textu servatum esse iam nemo ignorat,²⁶⁾ rem haudquaquam discerni posse profecto inter omnes

23) Mus. critic. Cantabr. p. 648.

24) Priores syllabae ἰσι in voce ἰσίχαρις fortasse ex τισι depravatae sunt, quod ad vocem ὄξυνόμενον, quae praecedit, referendum est, ut legi oporteat ὄξυνόμενόν τισι κτέ, quam coniecturam mecum benigne communicavit A. Ludwichius, magister venerabilis.

25) Herod. scriptt. tria emendatt. p. 147 adu.

26) Hoc nuperrime Egenolfius l. c. denuo haud infimis argumentis comprobavit.

constabit. Permultum vero lucratur schol. Aristophaneo, quod ultimo gradu ad Didymum redire Hullemannus merito suspicatur,²⁷⁾ quapropter *Χάριτα* (V) vel *Χάρητα* (cett. libri), quod hic habetur, cum eodem homine docto non librariorum errorem putamus, sed 'scholii auctoris, qui in Didymi corrupto exemplari cum scriptum legisset *ἐπιμ. Χάρις λέγει βαρ. Ἄττ. τὸ στρ.* hinc suum peius cudit *Χάρητα*.' Nam Didymi commentarios vel commentariorum excerpta h. l. vetere corruptela foedata fuisse probatur notissimo illo loco Herodiano, quem supra indicatum hic quoque ex nostra emendatione repetamus: *σημειῶδες ἄρα τὸ στρωθὸς ὀξυνόμενόν τισι. Χάρις δὲ φησι Ἄττικὸς βαρύνει τὸ ὄνομα κτέ.* Verum sub cod. scriptura *Χάρις*, quae vix quicquam respiciat, Chaeridem delitescere auctorem dilucide apparet ex schol. A Hom. B 311, cuius librario praestantiores codd. Didymi ipsius vel potius Herodiani praesto fuisse videntur quam Aristophanis interpreti. Atque etiam in Veneto aestimando non tam nitimur auctoritate librarii quam fontium id est h. l. Herodiani librorum *περὶ μόν. λέξ.* vel id, quod mihi quidem videtur veri similis, *περὶ Ἰλιακῆς προσωδίας*, in quibus eo tempore, quo codex exaratus est, nomen haudquaquam ut hodie depravatum fuisse crediderim. Si vero nihilo minus fuerit, certe librarius ipse nomen, quod illi vitiose ediderant, suo arbitratu ceterorum Chaeridis studiorum memor nitidissime emendavit. Itaque quoquo modo res se habet, ratione inita ac subducta quam accuratissime Lehrsii ac Blauii viam ingressus *Χαίριδι* (etiam dativi formam cod. quaeso respicias) doctrinam de *στρωθὸς* vocabuli prosodia, de qua adhuc inter viros doctos valebat dissen-

27) l. c. p. 145 adn. 6.

sio,²⁸⁾ vertendam esse equidem habeo persuasissimum, apprime Veneti auctoritate permotus, quae etiam hoc validissimo documento de integro fundatur.

Sed fortasse iam latius quam oportuerat sum in hoc campo exspatiatus. Jam ad alia vertamur. Ex omnibus igitur, quae nunc ipsum exposuimus, luce clarius apparet Chaeridem Homeri carminibus interpretandis operam navasse (*στρούθος*, ut memineris, legentibus obviam it ll. *B* 311 et 317) iamque suspicionem movent commentarios ipsos poetae illum condidisse ut plurimos illorum temporum grammaticos. Haec planissime confirmantur scholiis Odysseae, ubi non nunquam laudatur grammaticus quidam, cuius sub nomine corrupto *Χάρις* non *Χάρης*, quem plerique editores restituerunt, sed *Χαῖρις* latere nemo non videt. Sed exempla plus docent quam verba: schol. *η* 80, ubi *διορθωτικὰ* scriptoris memorantur, et Harleianus (H)²⁹⁾ et Heidelbergensis (P) necnon Vindobonensis (I) exhibent *Χάρις*, quod *Χαῖρις* recte legendum censuit Boeckhiius apud Buttmannum, deinde schol. *α* 58 cod. Venet. Marcian. 613 (M) pariter habet *Χάρις*, quod item in *Χαῖρις* commutavit Cobetus; num optime quaestio est, de qua infra pluribus agetur. Denique non dubium est, quin interpretatio vocis Homericae *ἐπιγονίς* scholl. Od. *ρ* 225 et *σ* 74, ultimo gradu ad Chaeridem recedere, quod evincitur comparanti schol. Arat. phaen. 254, ubi — certe miraberis — rursus sine discrimine perperam *Χάρης* traditur, quod Spitznero auctore³⁰⁾ iam Blavius gravissimis quae novimus

28) Vid. Egen. l. c.

29) Falsum est quod Dindorfius in apparatu critico scholl. Odyss. notavit Harleianum praebere *Χάρης*.

30) Cur. crit. in scholl. Apollon. Rhod. et Eudoc. Viol. part. I. Wittenb. 1819, p. 6 sq.

argumentis *Χαῖρις* potius legendum esse mea quidem sententia pro certo statuit.

Iam vero longius ferimur. Ac Chaeridis *διορθωτικά* non solum ad Odysseam, sed etiam ad Iliadem spectasse supra cognovimus ex scholl. N 103 et I 605, de quibus satis dictum est. Quod vero amplius in hac provincia ille praestiterit, haud facile secludere possumus a Charetis cuiusdam praeceptis interpretatoriis, quo nomine nusquam in scholiis Venet. A, saepius alibi offendimur. Ac primum puidem ratione Chaeridis Homeri commentariorum habita, quorum vestigia ostendunt scholia saepius allata, non dubitaverim, quin recte La Rochius cognoverit³¹⁾ schol. Il. Z 4, ubi in codd. BL Charetis memoria servatur, verius legendum esse *Χαῖρις* eumque locum aequè referendum ad eiusdem scriptoris *διορθωτικά*.

Sed restant alii loci, ubi codd. memoria inter *Χάρις* et *Χαῖρις* vacillat. Ex quibus primum in testimonium vocamus definitionem artis grammaticae apud Sext. Empir. adv. math. 81 p. 616, 12 Bekk. Chareti,³²⁾ apud schol. Dionys. Thrac. p. 118, 10 Hilg. Chaeridi attributam. Iam quisnam auctor fuerit, quamvis diiudicatu sit perdifficile, dilucidare tentabimus. Ac Blaius, cui quaestiuncula, auctoris, ut scimus, non exiguum iniecerat scrupulum³³⁾ stabilitate ac constantia iudicat Chaeridem praeter commentarios etiam libros *περὶ γραμματικῆς* composuisse. Sed vereor, ne

31) Hom. Textkr. p. 81.

32) Etiam in Sext. Empirici cod. Regimontano (R) bibliothecae urbis, num. S. 35 signato, (de quo vid. Bekk. in praef. suae edit. Berol. a 1842 p. 3) fol 9 lin 1 *Χάρις* i. e. *Χαῖρις* revera oculis legentium occurrere cum Bekkero denuo h. l. confirmaverim.

33) l. c. p. 65.

inconsultius vir doctus iudicium fecerit. Neque enim, ut alia, quae obstant, h. l. missa faciamus, secum deliberasse videtur auctoritatem Sext. Empirici maioris momenti esse eiusque libros praestantiores quam anonymi Dionysii Thracis interpretis, cuius libellum primus edidit Bekkerus³⁴⁾ ac nuperrime Hilgardius.³⁵⁾ Iam paulisper in animo habui schol. Od. *a* 58, quo loco de figura rhetorica quam vocant *ἀντίστροφον* agitur, ad libros *περὶ γραμματικῆς*, de quibus nunc loquimur, trahere, argumento illius maxime commotus; optio datur: si vero consideremus in libro *διορθωτικῶν* saepius etiam iudicia aesthetica ac rhetorica eum strinxisse (cf. scholia Pind. Pyth. od. IV, de quibus postea dicemus) consultius fortasse videbitur iudicium cohibere quam incerta pro certis venditare.³⁶⁾ Contra vix pluribus demonstrare opus est Villoisonium duobus locis Apollon. soph. lex. s. vv. *φήνη. Ὡπος* et schol. II. Γ 448 ubi *Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Χάριδος* legebatur, meritissimo *Χαίριδος* emendasse ex schol. Aristoph. Vesp. 1239.

Iam vero eo pervenimus, ubi, ut Graeci aiunt, *ἐπὶ ξυροῦ ἴστανται λόγος*. Nunciam quaestio nobis oritur, num omnino Chares grammaticus exstiterit, quod Blavius aliique prae fracte negaverunt. Sed revera talem exstitisse meo quidem iudicio satis dilucide colligitur ex schol. Apollon. Rhod. II, 1052, ubi Chares quidam *Ἀπολλωνίου γνώριμος* nominatur in cod. celeberrimo Laurent plut. XXXII, 9 (L), qui praeter

34) Anecd. Graec. II p. 647 sq.

35) Grammatici Graec. III: Scholia in Dionysii Thracis artem grammaticam. Lips. 1901 p. 106 sq. Hanc definitionem, de qua agitur, legimus in scholl. cod. Vat. gr. 14 membr. resc. saec. XIII, cf. praef. p. XIX.

36) Itaque Cobetum sequi praetulerim cf. supra p. 14.

Apollonii Argonautica cum scholiis antiquissimis etiam Aeschyli atque Sophoclis tragoedias continens primum locum suo iure inter omnes libros mss. tuetur.³⁷⁾ Atque eundem Charetem latere schol. eiusdem Apollon. Rhod. IV, 1470 recte perspexit Susemihlius, quod codd. memoriam *Χάρις* verissime *Χάρης* emendandam esse ex altero schol. Apollonii, de quo modo disputavimus, pulcherrime apparet. Ac parum vereor, ne aliis violenter in hac re egisse videar ponderantibus, quam facile itacismo librariorum *Χάρης* in *Χάρις* corrumperetur, quod saepius accidisse exempla supra collecta luculenter docent.³⁸⁾ Quae cum ita sint, duos grammaticos Charetem Chaeridemque distingui posse mihi persuasi, quam opinionem procedente libello novis adminiculis fulcire non deero. Verum tamen e re fuerit ipso h. l. notare argumentum quoddam novissimum, quod equidem minime presserim, sed alii fortasse in testimoniorum inopia, qua premuntur, additu haud indignum putabunt: constat apud grammaticos morem fuisse inter alia exempla etiam nomina propria eaque interdum aliorum grammaticorum ac tribulium³⁹⁾ verbi causa promere, veluti scriptor Etym. M. p. 475, 16, quo loco revera⁴⁰⁾ Herodianum compilasse videtur,⁴¹⁾ Chaeridem quendam (forsitan grammaticum) citat: τὰ εἰς ῥίς θηλυκὰ ἑμματικὰ διούλλαβα· βαρύτονα ἐνὶ φω-

37) De bonitate eximia cod. cf. Bandini, Catal. codd. mss. biblioth. Medic. Laurent. II, p. 132—134.

38) Vide supra p. 5 sq.

39) Vide sis Herod. de solit. dict. 10, 2, ubi nomen grammatici cuiusdam exempli gratia nominis adhibitum, qui *περὶ Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσεύς* scripsit, excidisse patet, quod quale fuerit non constat.

40) Cf. Choerob. orthogr. Anecd. Oxon. II, p. 221, 7.

41) L. II, p. 437 adn.

νήεντι παραλήγεται χάρω χάρις, εἶρω ἔρις — κρείως γὰρ ἢ μάχη ἔ. διὰ λόγων γενομένη — καὶ Ἰρις, δαίω τὸ κόπτω δαΐς, δῆϊς, δῆρις· τὸ κούρις, δ σημαίνεται τὸ ἐργαλεῖον τοῦ κούριως ὀξύνεται, τὸ δὲ Χαῖρις Χαίριδος ὄνομα κύριον ἀρσενικόν· ἐστι κτέ. Atque, quod etiam mirum est, Χάρης nomen affertur apud Herod. Pros. II. E 10, ubi prosodiae signifer ac magister celeberrimus Charetem fortasse grammaticum in mente habuisse nemo, opinor, prorsus renuerit, cum dicat:⁴²⁾ Δάρης ὡς Χάρης· ὁμολογεῖ καὶ ἡ γενική· Δάρητος γὰρ ὡς Χάρητος κτέ.

Sed haec in transcurso diximus. Iam vero, ut summam disputationis permultis ambagibus quasi caligine obductam breviter complectamur, Chareti praeter definitionem artis grammaticae testimonia Apollonii scholiastae tribuimus, Chaeridi observationes in Homerum, Pindarum, Aristophanem atque omnia, quae restant, ubi Χάρης vel Χάρις vel Χαῖρις traduntur. De ea re satis dixisse habeo.

Inde ab hoc loco, ut patet, dissertatio in duas distat semitas, Chareti scilicet Chaeridisque doctrinae enarrationem, quarum illam mihi liceat perlustrare priorem.

Cap. II.

De Charete grammatico eiusque reliquiis.

Chareti igitur, ut supra exposuimus, vindicamus quattuor fragmenta, ad summum quinque:

1.

Schol. Apollon. Rhod. II, 1052 (Merkel-Keil. p. 441, 4):

42) L. II, p. 47, 6.

Οὐδὲ γὰρ Ἡρακλῆς, ὅπότε ἤλυθεν Ἀρκαδίην δέ,
πλωΐδας ὄρνιθας Στυμφαλίδας ἔσθενε λίμνην
ῶσασθαι τόξοισι

Τὰς Στυμφαλίδας ὄρνιθάς φησιν οὐκ ἐδύνατο ἀπώ-
σασθαι, εἰ μὴ κρόταλον χαλκοῦν καὶ ψόφον ποιῶν ἐξε-
φόβησεν. πλωΐδες δὲ ὄρνιθες καλοῦνται διὰ τὸ ἐν τῇ
λίμνῃ αὐτὰς νήχεσθαι τῆς Ἀρκαδίας, ἃς Ἡρακλῆς ἀπε-
δίωξεν. Στύμφαλος δὲ πόλις Ἀρκαδίας καὶ Στυμφαλῖς
δὲ λίμνη¹⁾ καὶ Ὅμηρος, Στύμφηλόν τ' εἶχον (Il. B 608).
Στυμφαλίδες δὲ λέγονται περὶ αὐτὴν ὄρνιθες, ἃς πλωΐδας
εἶπεν Ἀπολλώνιος· οὕτω δὲ αὐτὰς ὀνομάζεσθαι Σέλευκος
ἐν Συμμίκτοις καὶ Χάρης αὐτοῦ τοῦ Ἀπολλωνίου γνώρι-
μος ἐν τῷ περὶ ἱστοριῶν τοῦ Ἀπολλωνίου. ἰδίως δὲ Μνα-
σείας φησὶ Στυμφάλου τινὸς ἕρωος καὶ Ὅρνιθος γυναικὸς
γενέσθαι Στυμφαλίδας θυγατέρας, ἃς ἀνελεῖν τὸν Ἡρακλέα,
ὅτι οὐ προσεδέξαντο αὐτὸν καὶ ἐξένισαν τοὺς Μολίονας.
Φερεκύδης δὲ φησιν οὐ γυναικας ἀλλ' ὄρνιθας καὶ ἀναιρε-
θῆναι πρὸς Ἡρακλέους πλαταγῆς δοθείσης αὐτῷ πρὸς
τὸ κτυπεῖν καὶ ἐμφοβεῖν αὐτάς· ὁμοίως καὶ Ἑλλάνικὸς
φησιν. τὴν δὲ Στυμφαλίδα λίμνην φασὶ διὰ βερέθρων
ἐλδοθεῖσαν ξηρανθῆναι.

Cf. Susemihl l. c. I p. 389; II p. 151; Christ,
Gesch. d. griech. Litt.³ p. 534 adn.; Cohn apud Pauly-
Wiss. E. R. s. v. Chares col. 2130. De avibus Stym-
phalicis v. Hyg. fabulas 20 et 30.

2.

Schol. Apollon. Rhod. IV, 1470 (Merkel-Keil
p. 525, 4):

Τὸν μὲν ἄρ' αἶσα θεῶν κείνην ὁδὸν ἠγορέη τε 1468
ᾠρσεν, ἔν' Ἡρακλῆος ἀπηλεγέως πεπύθοιτο,
Εἰλατίδην Ἰολύφημον

1) Στυμφηλή δὲ λίμνη cod. L = Laurent. 32, 9.

Πολύφημος ἐν Μυσία καταλειφθεὶς ἔκτισε πόλιν Κίον τὴν οὕτως ἰνομασθεῖσαν ἀπὸ τοῦ παραρρέοντος ποταμοῦ. μαχόμενος πρὸς Χάλιβας οὗτος ἐτελεύτησεν, ὡς φησι Νυμφόδωρος. ὅτι δὲ τὴν Κίον ἔκτισεν αὐτὸ Χάρης ἐν πρώτῳ χρονικῶν.²⁾

De Polyphemo socio Argonautarum Cioque condito v. Il. A 264; schol. Apollon. Rhod. I 40; 1241; Apollod. I, 9, 16, 19. Val. Flacc. I 457.

3.

Sext. Empir. adv. mathem. I § 76 (Fabr. p. 233; Bekk. p. 616, 12):

Χάρης³⁾ (δὲ) ἐν τῷ πρώτῳ περὶ γραμματικῆς τὴν τελείαν φησὶ γραμματικὴν ἕξιν εἶναι ἀπὸ τέχνης διαγνωστικὴν τῶν παρ' Ἑλλήσι λεκτικῶν καὶ νοητικῶν ἐπὶ τὸ ἀκριβέστατον πλὴν τῶν ὑπ' ἄλλαις τέχναις.

De re ipsa cf. Graefenhan l. c. I p. 344; Steintal, Gesch. d. Sprachwiss.² II p. 176 sq.; A. Blau, l. c. p. 66 adn. 1.

4.

Sext. Empir. adv. mathem. I § 79 (Fabr. p. 233; Bekk. p. 616, 29):

Ἔοικε δὲ καὶ (sc. Χάρης) Κρατήτειόν τινα κινεῖν λόγον, καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔλεγε διαφέρειν τὸν κριτικὸν τοῦ γραμματικοῦ· καὶ τὸν μὲν κριτικὸν πάσης, φησί, δεῖ λογικῆς ἐπιστήμης ἔμπειρον εἶναι, τὸν δὲ γραμματικὸν ἀπλῶς γλωσσῶν ἐξηγητικὸν καὶ προσφωδιᾶς ἀποδοτικὸν

2) Χάρις ἐν πρώτῳ χρόνων cod. L; Χάρων conl. Spitzner cur. crit. in scholl Apoll. Rhod. I p. 5; Αὐτόχαρις Mueller FHG IV p. 360; Χάραξ Heringa misc. obs. nov. VIII p. 949, quem secutus est Keilius. Χάρης ἐν πρώτῳ χρονικῶν scr. post. Susemihlium l. c. p. 151 adn. 23.

3) Χαῖρις pro Χάρης exhibit deinde idem fere referens schol. Dion. Thr. p. 118, 10 Hilg.; sed. v. supra p. 16.

καὶ τῶν τούτοις παραπλησίων εἰδήμονα· παρ' ὃ καὶ ξοικέναι ἐκείνον μὲν ἀρχιτέκτονι, τὸν δὲ γραμματικὸν ὑπερέτη.

De vobabulis φιλόλογος, γραμματικός, κριτικός nemini ignota est celeberrima Lehrsii commentatio in Herod. scriptt. tria emendatt. p. 379 sq. Etiam cantilena est ab omnibus decantata de via ac ratione grammaticae magnam dissensionem efferbuisse Cratetem inter et Aristarchum. Cratetis Mallotae ipsius mentio fit supra apud Sext. Empir. adv. mathem. I § 44; cur κριτικός audire maluerit, ne longius abeam, cf. B. Wachsmuth, de Cratete Malota p. 9 sq. Ut hic criticum, sic Seneca epist. 108 philologum a grammatico τεχνικῶ distinguit. Maxime vero grammatici nomen tam late patet, ut partes omnes tres τεχνικὴν, ἐξηγητικὴν atque criticum et philologum ambitu suo complectatur, ut apud Quintil. instit. orat. II, 1, 4. Interdum grammaticae sub critica comprehenditur, ut ex Taurisci, Cratetis ipsius satellitis (de quo vid. Graefenhan l. c. I p. 334 adn. 34 et p. 419) sententia apud Sext. Empir. l. c. I § 248 manifestum est: Ταυρίσκος γοῦν ὁ Κράτητος ἀκουστής, ὡσπερ οἱ ἄλλοι κριτικοὶ ὑποτάσσων τῇ κριτικῇ τὴν γραμματικὴν, φησὶ κτέ. Sed proprie si loquaris, nec critice grammatices nec grammaticae critices pars est, ut praeclare demonstravit Lehrsius l. c.

5.*)

Etym. M. p. 416, 31: ἡ δ' ὄς· οἱ μὲν περὶ Ἐρα-

*) De hoc fragmento eiusque auctore dubio v. postea p. 29 sq. Porro in hoc articulo plura ex Photii lexico (hic et ipse Chares appellatur p. 62, 10) et Suida I, 2 p. 820, 6 restituenda sunt; coh. V (olim Isaaci Vossii, nunc biblioth. acad.

τοσθένην ἀντι τοῦ ἔφη δὲ οὗτος· διὸ δὲ δασύνοισι⁴⁾ τὴν ἐσχάτην· ἐντετάχθαι γὰρ ἄρθρον τὸ ὄς· καὶ ἡ δὲ⁵⁾ ἀντι τοῦ ἔφη δὲ⁶⁾ καὶ ἦν δ' ἐγὼ ἀντι τοῦ ἔφη δὲ⁷⁾ ἐγώ· παρ' δὲ δὴ Ἑρμιππος καὶ Ἀρίσταρχος ἀντι τοῦ ἔφη δὲ· ὡς⁸⁾ Χάρης δὲ καὶ Κριτόλαος ἀντι τοῦ ἔφασαν· καὶ ἀντι τοῦ ὦ φίλε σημαίνειν⁹⁾ φασί· διελέγχεται¹⁰⁾ δὲ ὑπὸ πλειόνων . . .

De formula ἡ δ' ὄς, atticismo usitatissimo (cf. Gregor. Cor. p. 151 Schaef.; Porphyr. ad Il. E 533 p. 83, 15 Schrad.; Etym. M. p. 416, 27) haud egregie egit Dindorfius apud H Steph. tom. VIII p. 746 sq., melius disputavit Fritzschius ad Aristoph. Ran. 37 p. 15 sq., optime quaecumque huc spectant collegit explicavitque A. Ludwich, Mus. Rhen. XLI (1886), p. 437 sq. sub titulo 'Die Formel ἡ δ' ὄς.' De Eratosthenis opinione ἡ δ' ὄς = ἔφη δὲ αὐτός (cf. Schol. Plat. Phaed. p. 65 b: εἰάν μὲν ἡ δύο μέρη λόγον ἔσται ἔφη δὲ ὄς τουτέστιν ἔφη δὲ οὗτος) v. Bernhardy, Eratosth. p. 218. Aristarchus idem sensit cf. Lehms, Ar.³ p. 95 sq.

Lugd. Bat. non habet nisi haec: ἡ τ' ὄς] ἀντι τοῦ ἔφη οὗτος· διὸ καὶ δασύνεται κατὰ τὴν ἐσχάτην· ἔστι γὰρ ἄρθρον ὑποτακτικὸν τὸ ὄς· τὸ δὲ ἡ ἀντι τοῦ ἔφη καὶ ἦν δ' ἐγὼ ἀντι τοῦ ἔφη ἐγώ.

4) δασύνοισι Phot. Suid.; recepit Gaisf.; δασύναι Sylb.

5) ἡ δ' ὄς haud dubie legendum est.

6) Merito deest apud Phot. Suid.

7) Inter δ' et δὲ nutant codd. edd.

starcho eum posteriorum luce clarius ostendit schol. II. I 605 Ἀρίσταρχος γὰρ ἄνευ τῶν τ — ὁ δὲ Χαῖρις βοηθῶν αὐτῷ φησιν κτέ. Nempe vitae spatium, quod eruimus, saeculo amplius, minui potuit, si Blauio assentaremur, Chaeridem proximorum Aristarchi gregi discipulorum inserenti⁴⁾, id quod concludendum putat ex schol., quod modo laudatum est, Herod. II. I 605, ubi Chaeris Aristarchi falsae vocis τιμῆς ut genetivi explicationi succurrit et — quod illi maximi videtur esse momenti — quo illo versu opinionem suam tuitus sit, refert: ὁ δὲ Χαῖρις βοηθῶν αὐτῷ φησιν, ὅτι ἐπιφέρει κτέ. Quod argumentum num re vera tanti momenti est, ut Chaeridem gregi Aristarcheorum iniungere suppetat? Meo quidem iudicio e verbo βοηθῶν, quod Herodianus usurpat pro usitatissimo συγκατατιθέμενος (quamquam paulo fortiorem vim inesse verbo βοηθεῖν haud negaverim) nequaquam conficitur, ut noster Aristarchi discipulus fuerit. Fieri nonne cottidie solet, ut quispiam alterius sententiam comprobet vel etiam in verba cuiusdam iuret, quamquam longe abest, ut illum magistrum habuerit? Immo vero dubitari licet, quin Chaeris Aristarchum ipsum cognoverit. Huc accedit, quod eum quoque interdum ab illius iudicio dissidentem offendimus velut in Did. schol. II. B 865. Atque etiam alterum Blauii argumentum, schol. Od. η 80, ad persuasionem per sese parum est accomodatum ac futile irritumque, sine ira et studio cum lectitaveris. Hisce de causis Blauium iniuria Chaeridem pro Aristarchi discipulo venditasse mihi persuasum est, quam ob rem istum saeculo primo a. Chr. vitam degisse satis habeo.

Iam alteram quaestionem, quae ad vitam Chaeridis spectat, paucis absolvere lubet: Agitur de Apol-

4) l. c. p. 57.

lonio τοῦ Χαίριδος quisnam fuerit⁵⁾, cuius mentio fit schol. Aristoph. Vesp. 1239, Apollon. sophist. lex. s. vv. φήρη Ὡπος, schol. A. II. Γ 448, ubi Χάριδος cod. Venet. A correxit post Villoisonium Cobetus.⁶⁾ Ac potissimum propter ambiguitatem verborum Ἀπολλώνιος τοῦ Χαίριδος de ratione, quae Chaeridem inter et hunc Apollonium intercedat, magna inter recentioris aetatis viros doctos orta est controversia summaque opinionum varietas prolata, veluti Schneiderus l. c. p. 89 dubitat 'num diversus ab hoc [sc. Apollonio τοῦ Χαίριδος] is sit, qui in scholiis Ranarum potissimum citatur'. Quam in rem infra oratio incidet, cum primum quaestiunculam de Chaeridis et Apollonii τοῦ Χαίριδος necessitudine confecero. Quamquam vero locutiones eiusmodi, in quibus articulus cum genetivo dicitur, non solum de filio, sed etiam de patre necnon discipulo accipi posse Ioensio,⁷⁾ Schneidero aliis libere concedimus, tamen saepissime de filio usurpatas esse nemini non patet, quare praeter Villoisonium⁸⁾ etiam Graefenhanus quamvis dubitanter⁹⁾ Apollonium, quia ὁ Χαίριδος audit, Chaeridis filium interpretatur. Et aliam rationem viamque haud tritam ingressus ad eandem sententiam pervenit Susemihlius,¹⁰⁾ qui ex schol. Vesp. 1239, quod egregie restituit, contra Schra-

5) Cf. Fabricius, bibl. Gr. IV p. 275; A. Blau, l. c. p. 55 adn. 2.

6) Vossius, de hist. Gr. IV, 3 deteriorem formam Ἀπολλώνιος ὁ Χάριδος praebet cum Blauio l. c. nescio unde haustam.

7) Scriptt. hist. phil. I, 2, 5.

8) Prolegg. ad II. p. XXIX et prolegg. ad Apoll. soph. p. XX.

9) l. c. II p. 49 inter patrem et filium et II p. 118 patrem inter et magistrum titubat.

10) Jahnii ann. a. 1889 p. 752 adn. 2.

derum¹¹⁾ notavit Artemidoro, scriptori saeculi primi p. Chr. haud difficulter occasionem Apollonium citandi oblatam fuisse, etiam si Apollonius Chaeridis filius fuerit. Sed Schneideri dubitationem, de qua supra diximus,¹²⁾ rectissime Blavius l. c. refutat haec addens: 'Hoc in manifesto est, ita hunc ut Chaeridis, ut mea quidem fert sententia, Aristarchi discipuli¹³⁾ aut certe Aristarcho paulo senioris, filium cum illo, ipse qui fuerit Aristarchi discipulus, confundi minime posse.' Quae cum ita sint, Apollonium τοῦ Χαίριδος Chaeridis, de quo agimus, filium fuisse pro certo putandum est. Nam paribus studiis Homericis deditus fortasse etiam patris commentarios in Aristophanem, qui multa habent imperfectae condicionis vestigia, ut infra docebitur, amplificavit perpolivitque. Habes igitur omnia, quae de aetate vitaeque Chaeridis verisimili quadam ratione possunt indagari. Sed antequam reliqua perquiramus, Apollonii Chaeridis filii reliquias, ut occasio tulerit, recensere mihi liceat:

Fragmenta Apollonii τοῦ Χαίριδος:

1.

Schol. Aristoph. Vesp. 1239 (Didot. p. 162), quod codd. depravatum exhibent cum Blavio l. c. p. 55 adn. 2 et Susemihlio l. c. hoc modo restituam:

Ἀδμήτων λόγον] καὶ τοῦτο ἀρχῇ σχολίου — Ἀμμώνιος¹⁾ δὲ ἐν τοῖς Κωμωδομένοις καὶ τὸν Κλειταγόραν

11) Jahni ann. a. 1866 p. 229 adn. 5 et p. 230 sq.

12) De Apollonio Arstarcheo (Blau l. c. p. 50 sq.) cogitaverat.

13) Hoc equidem negaverim, vid. supra p. 48.

1) Ἀμμώνιος Susemihl; Ἀρμόδιος codd.; Ἡρόδικος vel Ἀρτεμίδωρος Dobraeus; Ἡρόδικος Dind. Blavius; sed vide Susemihlium l. c.

καὶ²⁾ τὸν Ἄδμητον ἀναγέγραφε παραθεῖς τὰ τοῦ Κρατί-
νου ἐκ Χειρῶνων

Κλειταγόρας ἄδειν,³⁾ ὅταν Ἄδμήτου μέλος αὐλῆ
(fr. 236 Kock)

Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Χαιρίδος, ὡς Ἀρτεμίδωρος φησι,
περὶ μὲν τῆς Κλειταγόρας τῆς ποιητρίας, ὅτι ὡς ἀνδρώ-
νυμον ἀναγέγραφε Κλειταγόραν, Ἀμμώνιος⁴⁾ ἀπελέγχει
αὐτόν, περὶ δὲ τοῦ Ἄδμήτου παρεῖχεν.

2.

Schol. A II. Γ 448^{b)} (Dind. I p. 165, 33):

τὴν μὲν ἄρ' ἐν τρητοῖσι κατεύνασθαι λεχέσσειν (sc.
Paris et Helena) τρητοῖσι] ὁ μὲν Ἀπίων κυρίως· ἱμάσι
γὰρ ἐνετείνοντο αἱ κλῖναι· ὁ δὲ Ἡλιόδωρος⁶⁾ εὔτετη-
μένους.⁷⁾ Ἀπολλώνιος δὲ ὁ τοῦ Χαιρίδος⁸⁾ διὰ τὸ κατὰ
τὴν ἀρμογὴν τετρησθαι.

3.

Apollon. sophist. lex. s. v. φήνη (Bekk. p. 162, 14):
φήνη εἶδος ὀρνέου. καὶ φῆναι ἢ αἰγυπιοὶ γαμψώ-
νυχες.⁹⁾ Ἀπολλώνιος δὲ ὁ τοῦ Χαιρίδος¹⁰⁾ ἀετοῦ γένος
φησί, καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ ζῴων.¹¹⁾

2) τὸν Κλειταγόραν καὶ ins. Susem.; τὴν Κλειταγόραν inter
et τὸν Κλειταγόραν pendet Blauius.

3) ἄδει V.

4) Ἀμμώνιος del. Blau; rest. Susem.

5) Schol. est, quod vocatur intermarginale, depromptum
ex Apollonii sophist. lexico pleniore.

6) Ἡλιόδωρος cod.

7) τετρημένοις scripsi ex Apoll. sophist. Bekk. p. 154, 17;
τετραμμένοις cod. A.

8) Χαιρίδος cod. A. em Villos. Cobet.

9) φῆνοι Αἰγυπτιακοὶ γαμψώνυχες cod. Bekk.; sed cf. Od.
π 217.

10) Χαιρίδος cod. Bekk.; em Villos.

11) Cf. Aristotel. περὶ ζῴων VIII, 3.

4.

Apollon. sophist. lex. s. v. ᾿Ωπος (Bekk. p. 171, 17):

᾿Ωπος. ᾿Απολλώνιος ὁ τοῦ Χαίριδος¹²⁾ γενόμενος ἐπὶ τοῦ·

᾿Εδρόκλει, ᾿Ωπος θυγάτηρ (Od. α 429)

φησὶν ὡς ἐπὶ τοῦ Γλαῦκος καὶ Πύρρος βαρυντονοῦμεν διὰ τὴν ὁμωνυμίαν, οὕτως καὶ ἐπὶ τοῦ ᾿Ωπος.¹³⁾ τυχὸν δὲ καὶ συναλοιφῇ^{13a)} ἔστιν, ᾿Ωπος, ἄγαν δεικτικῶ.¹⁴⁾

Omnia igitur, quae Apollonii, Chaeridis filii, supersunt, excerpimus; nil defore putamus. Quibus rebus peractis ad Chaeridis ipsius studia pergamus in Homeri, Pindari, Aristophanis scholiis tradita. Non mirum est nostrum veluti clariores grammaticos illorum temporum ad unum omnes critici interpretisque ingenium in Homero, poetarum parente, exercuisse, cuius scholia nomen saepius promiscue cum Charete vocant (de quo longi fuimus in capite priore), ut difficultas oboriatur discernendi, quibusnam locis suo iure Chaeris appelletur. Sed alea iacta est: convenit inter nos (supra p. 18) Chaeridi assignare omnia scholia, ubi talia inveniuntur, de quibus nunc pluribus dicendum est.

Didym. Schol. II. B. 865 Chaeris^{14a)} una cum Diodoro grammatico lectioni Aristarchi Γυγαίη τέκε λίμνη refragatus λίμνη pro dativo legit cum ι, quod

12) Χάριδος cod. Bekk.; em. Villois.

13) Eustath. p. 1427, 58 cum Apollonio conspirat.

13a) συναλοιφή cod.

14) Grammaticus miro et inepto acumine putat ᾿Ωπος esse contractum ex ἄιπος ab ἄοψ, ut ἄοψ vel contracte ᾿Ψ sit acri visu praeditus. Villois.

14a) οἱ περὶ Χαίρων Chaeris est, nihil amplius v. Lehrs, quaestt. epp. p. 28.

vulgo ἀνεκφώνητον dicitur, λίμνη ἐπὶ Γυγαίῃ, sed obloquitur Herodianus: κακῶς, αἰτ, μηδέποτε γὰρ Ὅμηρον λίμνης τέκνα ἰστορεῖν· βίαιοι δὲ εἰσιν. Schmidtii¹⁵⁾ vero falsam interpretationem huius scholii — Chaeridi ac Diodoro scripturam imputat λίμνη ἐπὶ Γυγαίῃ — refutat Eustath. p. 336, 3. οἱ δὲ σχολιασταὶ τὸ μὲν Γυγαίῃ δέχονται κατ' εὐθεϊαν πτώσιν, τὸ δὲ λίμνη κατὰ δοτικὴν,¹⁶⁾ et Aristarchi sententiam verbis perstringens p. 366, 8: ἀρέσκοι τοῖς παλαιότεροις εὐθεϊαν εἶναι καὶ τὸ λίμνη καθὰ καὶ τὸ Γυγαίῃ. — At criticum sobrii nec scaevi ingenii et Homerici generis dicendi peritissimum Chaeris se praebet schol. II. Z 71, ubi eum cum Aristarcho sicut nos quoque hodie νεκροὺς ἄμ πεδίον συλήσετε τεθνηῶτας legisse idem Didymus auctor est. Aliis autem diversitate personarum in Nestoris oratione κτείνωμεν (vs. 70) — συλήσετε (vs. 71) offensis nullum salutare consilium in promptu erat, nisi ut vulgatam commutarent, ut Zenodotus legit Τρώων ἀμπεδίον συλίσσομεν ἔντεα νεκρούς, cum Athenocles servata personarum mutatione non tam recte quam lepide ac sagaciter difficultati, quam repperisse sibi visus est, hac interpretatione mederetur: ὅτι τῶ μὲν καμάτῳ καὶ ἑαυτὸν ὁ Νέστωρ ἰποβάλλει λέγων 'κτείνωμεν', τὸ δὲ κέρδος ἴδιον ποιεῖται τῶν στρατιωτῶν ἐν τῷ 'συλήσετε', quas cavillationes Blauius ut nugas refellit his commodissime adiectis: 'tales sensus ab heroum illorum aeneis pectoribus satis alieni erant'.¹⁷⁾ Sed alios in scirpo nodum quaesisse noster docuit, cum rem eodem modo atque Aristarchus explicaret. Itaque Chaeris cum illius lectionem probet, adstipulator eiusdem cognoscitur, haudquaquam discipulus. Atque

15) Didymi fr. p. 124.

16) Blau l. c. p. 6) adn. 1.

17) l. c. p. 59.

eadem ratione eodemque conspectu considerandum est schol. Il. I 605, ubi Aristarchi falsam *τιμῆς* ut genetivi explicationem defensitat eamque simili versu Homerico fulcire studet, de quo ab Herodiano dicitur: *ὁ δὲ Χαῖρις βοηθῶν αὐτῷ φησιν, ὅτι ἐπιφέρει 'οὔτι με ταύτης χρεῶ τιμῆς'* (vs. 607), unde Blavius sibi demonstrasse videtur, Chaeridem fuisse Aristarchi discipulum. Sed quisnam non videt verba *ὁ δὲ βοηθῶν αὐτῷ* nihil aliud esse nisi locutionem Herodiani vel alius scholiastae ad enuntiatum transeuntis quo Chaeridis sententia addatur? Chaeridem igitur quamquam occasione oblata Aristarchi vestigia pressisse apertum est, tamen gregi Aristarchorum ipsi intrudere non licet. Quomodo etiam factum est, ut in Aristarchi velut magistri verba iurare noluerit, sed ut Homeri dicendi rationis peritissimus omnia sui arbitrii faceret Homerumque potissimum ex Homero ipso paribus vel simillimis locis allatis interpretaretur.

Jam vero tempus est Chaeridis curas prosodiacas in Iliadem persequi: tribus locis praecepta istiusmodi enuntiantur. Ac praefationis loco legentibus in memoriam vocaverim Blavii sententiam, qui ad librum *περὶ γραμματικῆς* redire arbitratur, quae Chaeris schol. Il. N 103 de accentu gen. plur. *Θῶων παίδων* etc. praecipit *οὐκ εἶναι ἐν δυσλλάβοις ἰναλογίαν*, quod profecto valere nequit, quippe cum memineris, quae supra de Charete auctore libelli diximus. Sed res ipsa haud indigna est, in qua pluribus commoremur: Aristarchum secundum *παράδοσιν* pronuntiasse *Θῶων*, Pamphilum contra veluti analogiae patronum 'strictae observantiae' genetivum circumflexo notasse scholio ineunte docemus *'επεὶ τὰ εἰς εἰς λήγοντα διείλλαβα ὀνόματα ἐπ' εὐθείας πληθυντικῆς ἔχει γενικὴν περισπωμένην. διὸ καὶ τὸ Τρώων καὶ δμῶων καὶ παίδων ἀνε-*

γίγνωσκε περισπωῶν, ἔτι δὲ καὶ τὸ πάντων καὶ λάων καὶ τίνων — eadem vel similiter iam ante Pamphilum videntur iudicasse Diocles et Dionysius Thrax.¹⁸⁾ Casius autem mediam viam ingressus barytona accipi voluit genet. plur. stirpium monosyllabarum in vocalem desinentium, ut *Τρώων δμύων λάων* cett., in consonantem exeuntes perispomena ut *Θηρῶν κονῶν χηρῶν*, sed statim eodem schol. refutatur ἀντίκειται δὲ αὐτῶ τὸ παίδων καὶ πάντων. Itaque Chaeris 'sermonis formarum multiplicium copia tamquam territus¹⁹⁾ anomaliam amplexus statuit οἷκ εἶναι ἐν δισύλλαβοις (sc. genetivis) ἀναλογίαν. In his vehementer erravit Lobeckius l. c. *Parall. gram. Gr.* p. 121, ubi Tryphonis libro *περὶ τῆς ἐν μονοσυλλάβοις ἀναλογίας* memorato sic pergit: In schol. N. 103, ubi accentus genetivorum *θῶων παίδων* etc. disceptatur, postrema verba — res ipsa demonstrat sic scribenda esse ἐν τοῖς μονοσυλλάβοις, aut certe significari inclinamenta monosyllaborum.' Noster vero, ut Lerschius l. c. monuit, non tam de vocibus monosyllabis summatim loquitur, quam de genetivorum huius generis formis, de quibus tantummodo in scholiis agitur. — Idem deinde in re prosodica in testimonium vocatur schol. II. B. 311 (Dind. I p. 100, 30) *στρουθοῖο] ὡς ἀπὸ ὀξυτόνου εὐθείας ἢ ἀνάγνωσις. Χαίριδι δὲ ἤρεσκε βαρύνειν, καὶ ἕως ἐπεὶ τὰ εἰς θῶς λήγοντα δισύλλαβα μονογενῆ, φύσει μακρᾶ παραληγόμενα ἐβαρύνετο, Ξοῦθος Ζῆθος καὶ μῦθος κτέ*, quae valde mutila parumque accurata Herodianus ipse praebet in prosodia catholica (L. I p. 144, 9), quaeque si emendemus, nobis subvenit eiusdem grammatici liber *περὶ μον. λέξ.* 42, 15 (L. II p. 947, 20), unde Atticos

18) Scholii verba admodum corrupta praeclare restituit Lehms-Ar.³ p. 250, cf. etiam Blau l. c. p. 57 adn. 3.

19) Blau l. c. p. 58.

vocem *στροῦθος βαρυτονητέον* postulasse apparet idemque docuisse Tryphonem *ἐν δευτέρῳ περὶ Ἀττικῆς προσηδίας*, quae verba Herodiani ipsa ex Egenolfii emendatione non huius loci est repetere, quandoquidem iam supra p. 35 ad verbum transtulimus. Id unum adiciam necesse est: Chaeris ut Dionysius, Aristarchus alii Atticum et *ἀττικίζοντα* Homerum habuisse videtur.²⁰⁾ Denique tertio loco sub iudicium vocamus schol. l. Σ 191 vexatissimum, ut ita dicam, quod quoad nunc fieri possit, primum toto genere emendasse mihi videor, posteaquam alii id frustra in trutinam exegerunt. Sermo est in versu laudato (loquitur Achilles de Thetide):

στεῦτο γὰρ Ἡφαίστιο πάρ' οἰσέμεν ἔντεα καλά
de anastrophe praepositionis *παρά*, de qua re, si sententiam pronuntiare fas est, paulo longius abire liceat. Nota sunt Lehrsii, in hac disciplina acutissimi atque ingeniosissimi critici, veterum praecepta de anastrophe praepositionem,²¹⁾ quae ut cetera planiora sint, h. l. expromantur; docuit vir omnium doctissimus: 1. Ubi praepositio simpliciter nomini suo vel pronomini vel verbo postponatur doctae antiquitatis regula est accentum retrahi 2. Sed ubi praepositio postposita ultima vocali abiecta neque sequente interpunctione apostrophum acceperit, vel inter praepositionem atque vocabulum, quod inde pendet, vocula una vel plures interpositae sint, tum nihil debere in accentu ponendo a solita ratione decedi.' — Hac tenus Lehrsius. Atque illius praeceptum, quod est de praepositione synaloephen passa non solum Aristarchum secutum esse sed, etiam Apollonium discimus ex schol. citato.

20) M. Schmidt Philol. VII (1852) p. 373.

21) Quaestt. epp. p. 75 sq.

Quod vero ad alteram viri illustrissimi legem de anastrophe attinet, denuo confirmatum vides dictum perantiquum quod valet ad rationem grammaticam: nullo regula sine exceptione. Nam anastrophēn passam esse praepositionem decurtatam eamque admisisse et Aristarchum et Herodianum Lehrsius ipse docuit maioris, ut videtur, perspicuitatis causa, ne παρά, de quo Ἠφαιστοῖο pendet, cum οἰσέμεν coalescat²²⁾, vs. 191 legentes, ut supra exaravimus. Traditum est in schol. huius loci priore: Ἀριστάρχος ἀναστρέφει τὴν πρόθεσιν πρὸς τὸ μὴ ἀμφιβάλλεσθαι τὸν λόγον, καίτοι τῶν συναλειφομένων μὴ ἀναστρεφομένων, ὡς καὶ Ἀπολλωνίος φησιν. ἐπεὶ οὖν δὲ ἡ παράδοσις Ἀριστάρχῳ, tum postquam de diplo ad h. v. actum est, quae omnia sunt clara ac perspicua, secuntur reliqua, ut primo obtutu patet, valde detorta, quae ad Chaeridem spectant²³⁾: χαίρις τῷ τὰς συναλειφθείσας προθέσεις μὴ ἀναστρέφεσθαι, καὶ ἐνθάδε οὐκ ἀναστρέφεσθαι καὶ ἐνθάδε οὐκ ἀναστρέφει, ἵνα μὴ διάφορον σημαινόμενον νοηθῆ· διαφέρει γὰρ τὸ παρενεγκεῖν Ἠφαιστοῦ ὄπλα. Ac primum quidem verba ἀναστρέφεσθαι καὶ ἐνθάδε οὐκ ut ditto-graphiam eicienda esse abunde cognoverunt Villoisonius, Bekkerus, Dindorfius. Tum vero quid videtur credibilis nisi, cum ex aberratione oculorum haec librario iterum in stilum fluxerint, complura verba post ἀναστρέφεσθαι infinitivum excidisse. Quaeenam fuerint, postea videamus. Ac primum quidem Chaeridem casu fortasse Aristarchi rationem probasse evidenter meo quidem iudicio ex verbis διαφέρει γὰρ τὸ παρενεγκεῖν Ἠφαιστοῦ ὄπλα conficitur, quare μὴ post ἵνα, quod

22) Vide Duentzerum ad h. v. in commentario suae editionis.

23) Pro Χαίρις legit Villoisonius χαίρει, sed velim cognoscas in codice legi χαίρις fol. 242 v.

sensum perquam disturbat, expuncto post *ἀναστρέφεισθαι* supplendum censeo verbum quodlibet assentiendi *ὁμολογεῖ* vel *ὁμονοεῖ* vel *συγκατατίθεται*, deinde *καὶ ἐνθάδε οὐκ ἀναστρέφει*, quod sequitur, nisi *οὐκ* delendum sit, cum Schradero l. c. mutarim in *ἐνθάδ' αὖ ἀναστρέφει*. Immo vero exploratum habeo post *ἀναστρέφεισθαι* maiorem lacunam exstare propter ditto-graphiam, de qua supra disputavimus, quae suspicio vocula *καὶ* augetur. Itaque scholion, quo modo in collectione fragmentorum nr. 6 conformatum est, optime currere putaverim: *Χαῖρις τῷ τὰς συναλειφθείσας προθέσεις μὴ ἀναστρέφεισθαι ὁμολογεῖ, ἐνθα δ' αὖ ἀναστρέφει, ἵνα διάφορον νοηθῇ· διαφέρει γὰρ τὸ παρενεγκεῖν Ἑφαιστόν ὄπλα'.²⁴⁾*

Atque etiam re critica Chaeridem se expertum esse colligitur ex schol. *LT* II. Z 4, quo versu legendum censuit *μεσσηγὺς ποταμοῖο Σκαμάνδρον καὶ Σιμόεντος*; nam *πρότερον ἐγγέγραπτο ἔμεσσηγὺς ποταμοῖο Σκαμάνδρον καὶ στομαλίμνης*, quam lectionem postea Aristarchus recepit. Haec, ni fallor, sunt omnia, quae de Chaeride in scholiis Iliadis feruntur.

Sequantur igitur studia Odysseae carminibus navata, quorum primum expediamus schol. η 80:

Ἰκέτο (sc. Athene) *εἰς Μαραθῶνα καὶ εὐρῶνιαν Ἀθήνην*

quo de versu dicitur: *ὑποπτέεται ὁ τόπος, ὡς καὶ Χαῖρις φησιν ἐν διορθωτικοῖς*, quae *διορθωτικά* non solum ad Odysseae commentarios, sed ad omnia Chaeridis

24) Quae secuntur *ὅτι δὲ καὶ ἐν ἄλλοις ἀναγνώσμασιν ὁ ἀνήρ τοιοῦτος, προείποιεν ἤδη* ad Aristarchum referam; significat haud dubie scholiasta schol. II. B 150 (Dind. I, 85, 8) *νῆας ἐπ' ἑσσεύοντο οὐκ ἀναστρέφεται ἢ πρόθεσις, ὅτι συνήλειπται. διὸ καὶ ἐλέγομεν ἔνεκα ἐτέρου σημανομένου τὸν Ἀρισταρχὸν κατὰ ἀνίστροφὴν ἀνεγκέμεναι τὸ 'στεῦτο γὰρ Ἑφαιστόιο πάρ' οἰσέμεναι.'* (II. Z 191)

studia Homerica spectasse probabiliter coniecit Blavius²⁵⁾ — equidem addiderim ad omnia Chaeridis miscellanea critica neque negarim La Rochium²⁶⁾ recte comparasse libellos, quos nostrates vocant 'Kritische Bemerkungen zu Homer' sive 'Beiträge zur Kritik des Homer'. Nec minoris momenti est schol. α 58, quod Chaeridem loquendi consuetudinis Homericae satis peritum Homerumque ex Homero ipso interpretantem monstrat. Audivisti eum p. 37 sq. (fr. 8) verba *ἴμενος καὶ κάπνον ἀποθρώσκοντα* subtiliter persequentem. Ne multa: non dubitandum est, quin illius commentarii plura acriter arguteque cogitata continuerint. Porro Chaeridis doctrinam subesse in interpretatione vocis Homericae *ἐπιγονίς* scholl. Od. ρ 225 et σ 74 Blavius²⁷⁾ ex schol. Arat. phaen. 254 enucleavit: *Μηρόφαντος (δὲ) ἐπιγονίδα τὴν κνήμην ἀκούει διὰ τὸ εἶναι ἐπ' αὐτοῦ τὸ γόνυ. δύναιται οἶν ἀπὸ μέρους ὄλον τὸ σκέλος ἀκούεσθαι. παρ' Ὀμήρω δὲ ἐπιγονίς τὸ ἄνω τοῦ γόνατος, ὡς Ἀρίσταρχος· ὡς δὲ Κράτης ἐπωμίς· ὡς δὲ Χαΐρις (codd. Χάρης) ἢ ἐφ' ὄλον σώματος εὔσαρκία, quibuscum quaeso conferas schol. Od. ρ 225 . . . ἐπὶ γονίδα δὲ λέγει τὴν τοῦ σώματος εὐεξίαν. ἀπὸ γὰρ μέρους τοῦ κατὰ τὸ γόνυ δέρματος τὶ πᾶν ἐσήμανεν, quae ad Chaeridem redire per sese intellegitur, cum ea, quae secuntur ἢ τὸ ὑπεράνω τοῦ γόνατος Aristarchi esse pateat; quod ita esse etiam planius efficitur ex altero schol. Homericō Od. σ 74 *ἐπιγονίδα]* τὸν ἐπάνω τοῦ γόνατος τόπον. ἀπὸ δὲ μέρους εὔσαρκον. πῶς οὐκ ἂν καὶ τὰ ἄλλα; Ubi quod *εὔσαρκον* legitur, quin Hom. scholiasta ex Chaeridis commentariis hauserit iam nemo addubitare potest.*

25) l. c. p. 61.

26) HT p. 81 sq.

27) l. c. p. 60.

Hactenus omnia, quantum scio, Chaeridis fragmenta HomERICA perlustravimus. Neque exiguam profecto operam Pindari carminibus impendit, unde eius gloria ut critici diligentissimi necnon interpretis ingeniosissimi magis magisque lucescit. Namque saepius in arte critica atque interpretatoria tanto ingenii acumine tantaque fortuna grassatus est, ut Boeckhius²⁸⁾ aliique Pindari huius aetatis editores nonnunquam coniecturas, quas emendatrici manu confecerat, non solum probare, sed etiam in textum recipere non dubitaverint. Quo magis dolendum est, quod ex hisce Pindari commentariis, ut videtur, amplissimis hodie nihil fere supersunt nisi pannuli aliquot defrustrati, quos brevitae, qua decet uti, nunc denuo consuere — vix enim novi quicquam Blauii dictis possumus adiungere — h. l. paramus.

Ac vestigia Chaeridis industriae in carminibus Pindaricis positae maxime in lucem prodeunt scholl. Pyth. IV, ubi novies nominatur ad vs. 18. 61. 156. 188. 195. 259. 313. 446. 459 (carmine, ut scimus, laus celebratur Arcesilae, regis Cyrenaeorum, qui *ἀquarı* vicerat) — deinde noster semel tantum memoratur schol. Nem. I 49, 'ut eandem, quam veterum interpretum multi sortem Chaeris videtur passus esse, quae scilicet in aliqua tantum eius scriptoris, quem ad illustrandum sibi sumpsisset, parte studiorum reliquias ceteris abolitis ad nostram memoriam siverit ferri'.²⁹⁾ Quae si cursim percensueris, apparet Chaeridem non modo critici et interpretis munere functum, sed etiam coniecturas et iudicia quae vocant aethetica aggredi ausum esse; atque ex locis supra allatis critici sunt coniecturasque suppeditant: scholia Pyth. IV,

28) praef. edit. vol. II p. XVI.

29) Blau l. c. p. 63.

61. 188. 195. 259. 446. 459; ceteri sunt interpretis vel aestheticen redolent: scholl. Pyth. IV, 18. 156. 313; Nem. I, 49.

Ordiamur igitur ab ordine priore locorum primumque examini subicere liceat schol. Pyth. IV, 61, ut extemplo, quod supra de coniecturis Chaeridis praedicatum est, confirmatum videas. Legebatur ante eum vs. 60 sq.

ἂν δ' εὐθὺς ἀπάξαις ἀρούρας
δεξιτερῶ προτυχῶν ξένιον μάστευσε δοῦναι, ubi lectionem προτυχῶν improbatam emendavit in προτυχόν, quod ad ξένιον rettulit, ut scholio docemur; προτυχόν enim Chaeridis lectionem fuisse ex codd. Gott. et Rom. iam pridem Bergkii et Mommseni intellexerunt, non παρατυχόν, quod alii libri mss. exhibent;³⁰⁾ id, quia cum metro pugnat, nihil nisi interpretamentum Chaeridis lectionis προτυχόν videtur esse, quae a recentioribus Pindari edd. una voce probata atque in textum recepta est. Pariter deinde palmam consecutus est vs. 189, cuius scholion lectionem codd. οἴκαδ ἀρχαίαν κομιζῶν hoc modo interpretatur: παραγωγῶς· ἐξήγαγε τὴν ἀρχὴν ἄς καὶ Ὀμηγος (Od. τ 73) τὴν ἀνάγκην. Ἀναγκαίη γάρ φησιν ἐπείγει.³¹⁾ Sed optimo iure Chaeris artibus huiusmodi interpretatoriis omissis coniecit οἴκαδ' ἀρχὰν ἀγκομιζῶν, quod Bergkio praecedente³²⁾

30) Nunciam satis constat longe plurimos codd. praebere rectius προτυχόν; v. supra p. 40 (fr. 12).

31) Cf. Lobeck, Parall. gr. Gr. p. 298 sq.

32) ἀγκομιζῶν quam Chaeridis emendationem fuisse Bergkii coniecit ex his, quae in schol. secuntur ἐν ἧ· τὴν ἀρχὴν ἀνακομούμενος κτέ non est, quod tamquam veram lectionem praeferamus. Ἀγκομιζῶν pro praes. conat. accipi potest, cf. Blau l. c. p. 63 adn. 3.

nuperrime admisit Christius.³³⁾ Paulo post vs. 195 libri hodieque uno tenore edd. legunt cum Chaeride ἀμετέρων . . . ἀρχεδικῶν pro ἀμετέρων . . . ἀρχεδίκων, quae erat lectio ante Chaeridis aetatem. Jason h. l. Peliam incusat, quod maiores dignitate regia priva-
verit, his verbis:

πεύθομαι γίγινεν Πελίαν ἄθεμι
λευκαῖς πιθήσαντα φρασίν
ἀμετέρων ἀποσυλᾶσαι βιαίως ἀρ-
χεδικῶν τοκέων . . .

ἐὰν ἀρχεδίκων, inquit scholiasta τὴν ἀρχήν, ἦν κατὰ δίκην, τουτέστι κατὰ τὸ δίκαιον εἶχον οἱ ἐμοὶ γονεῖς· βιάζεται δὲ μεταγράφων· προτέταχε γὰρ τὴν ἀρχήν. Ἰκόμαν οἴκαδ' ἀρχαίαν κομίζων· διόπερ ἀκολούθως ἐπήγαγεν· Ἀμετέρων ἀποσυλῆσαι αὐτὴν πεύθομαι. Εἰ δὲ περισπωμένως ἀναγιγνώσκωμεν Ἀρχεδικῶν, οὐκ ἐκκόπτει ἢ γραφή· ἔσται γὰρ ὁ λόγος τοιοῦτος· τὴν ἡμετέραν ἀρχήν τῶν ἀρχεδικῶν μου γονέων πεύθομαι τὸ Πελίαν ἀποσυλῆσαι. Ἄλλως: ἀρχεδικῶν ἐὰν περισπωμένως τῶν δικαίων βασιλέων· ἐὰν δὲ βαρυντόνως Ἀρχεδίκων ἀρχεδίκη ἢ τὴν ἐξ ἀρχῆς βασιλέων, ἦν εἶχον δικαίως. De hac igitur controversia, ut diximus, actum est: hodie cum Chaeride legimus ἀμετέρων . . . ἀρχεδικῶν. Male autem rem criticam gessit vs. 259, ubi editores Pindari memoriam codd. Μοῖραι δ' ἀφίσταντ' secuntur, cum Chaeridi forma optativi ἀφίσταιντ' praeferenda videretur, de quo schol. ipsum conferas, quod mire terminatur καὶ οὐκ ἀπιθάτως ὁ Χαῖρις. At recc. vitium h. l. latere negant. Contra Chaeridi assensi sunt vs. 445 non Πελιαφόνον συνθέτως legenti, sed distincte τὸν Πελίαο φόνον. Postrema verissimam fortasse et a Bergkio ac Momm-

³³⁾ Respuit Schroederus in novissima Pindari editione a. 1900; sed equidem non video, cur orationis vigorem Chae-
ridis emendatio pessumdet.

seno quondam probatam invenit noster emendationem vs. 459 ἔν ποτε pro codd. memoria ἄν vel ἄν ποτε, quamquam Christius et Schroederus Boeckhii coniecturam τάν ποτε praeferunt. Eatenus de Chaeridis sedulitate critica. — Veniamus ad alterum locorum ordinem, quibus, quid illic poeta senserit, Chaeris illustrare temptat. Ac primo Schol. Pyth. IV, 118 agitur de epitheto ἀθάνατον Medae ori indito, de quo ille iudicat ἀθάνατον στόμα τὸ Μηδείας εἶπεν ἐκ μέρους τὴν ἀθάνατον, ἔπει καὶ Ἡσίοδος ἐν τῇ Θεογονίᾳ (vs. 960) ἀθάνατον αὐτὴν φησιν. Sed vehementer erravit, cum diceret Hosiodum illis vss. 956—962 Medeam plane immortalem nominasse, quam ob causam Asclepiadis sententiae, quae sequitur ἀθάνατον αὐτὴν φησιν , ὅτι οὐδὲν τῶν ἐηθέων ὑπ' αὐτῆς ἀτελὲς γέγονεν οὐδὲ ἐφθάρη Boeckhii accessit interpretatus 'ob divinitatem fatidicam.' Deinde Pyth. IV, 156 sermo est de Aloidis, Oto scilicet et Ephialte, quorum mentioem Chaeris vituperat, quoniam Apollinem Martemque cum Jasone comparasse sufficiat: θεοῖς μὲν γὰρ εἰκάζομεν τινας, ἀνθρώποις δὲ ὑπερφρέσι καὶ τερατώδεσιν οὐκέτι. Sed reluctatur Chaeridi praeter Boeckhium, cuius verba Blavius³⁴⁾ iteravit (ille Chaeridis iudicium vocat 'frigidum') etiam Christius: 'A diis, inquit, iuvenili forma insignibus descendit poeta ad heroas formosissimos, inter quos primum nominat Aloidas, quos Homerus Od. λ, 310 καλλίστους μετὰ γε κλυτὸν Ὀρῳῖονα praedicaverat ctt.' — Vs. 313 eiusdem carminis Orpheus appellatur ἐξ Ἀπόλλωνος φορμιγκτάς, quod Boeckhii cum priore scholio ὢν suppleto 'filium Apollinis' vertit. Idem sensit pluribusque verbis exposuit oraculo addito et Asclepiade plaudente Chaeris, cuius sententiae te-

34) l. c. p. 64 sq.

norem in eius reliquiarum thesauro rettulimus (fr. 17). Sed cum Pindarus, ut scholio ipso notatur, Orpheum saepius Oeagri filium nominaverit, satius est cum Blauio³⁵⁾ 'accuratam sanamque Ammonii sententiam' amplecti, qui ait nihil nisi hoc sibi velle verba poetae: *ὁ τοῦ Ἀπόλλωνος μουσικός*. Restat schol. Nem. I, 49, quo versu Pindarus audaci saltu, ut se hominum avaritiam et illiberalitatem damnare laudique strenuorum virorum studere demonstrat, ad Herculis fabulam, utpote qui iam infans virtutem probaverit, transiit, eumque, ut videtur, cum Chromio, cui carmen missum est, comparat, unde quaestio oritur, qua mente h. l. poeta Herculem eiusque res gestas attigerit. Post Aristarchi aliorumque sententias Chaeridis doctrina explanatur *ὅτι ὁ Χρόμιος πολλὰ συμπονήσας τῷ Ἰέρωνι κατὰ τὴν ἀρχὴν ἀμοιβῆς ἔτυχεν ἐξ αὐτοῦ, ὡς τε ἐκ περιουσίας καὶ ἱπποτροφῆσαι. ὡς οἷν οὗτος ἔπαθλον ἔλαβε πόνων τὴν ἐπιφάνειαν, οὕτω καὶ Ἡρακλῆς πολλὰ ταλαιπωρήσας ἔπαθλον ἔσχε τὴν ἀθανασίαν καὶ τὸν γάμον τῆς Ἥβης*, quod refutare nos supersedere possumus, cum interpres pergat: *καὶ πρὸς τοῦτον δὲ ἔνεστιν εἰπεῖν· τί δήποτε ὁ Πίνδαρος ἰδιώτην ἐπαινῶν τὴν τοῦ Ἡρακλείους παρέλαβε συμφορὰν εἰς ἐπίδειξιν τῆς φιλοπονίας; μᾶλλον γὰρ ἔδει κοινότερον πάντας τοὺς ἀθλοὺς εἰς ὑπόμνησιν ἀγαγεῖν, ὅτι καθ' ἧρας γῆν καὶ θάλασσαν ἀπεδεύθη*. Apparet igitur Chaeridem campo aethetico parum feliciter neque eodem eventu certasse ac critico, quo quidem eum, cum ad Aristophanem accederet, ingenium deseruisse videatur.

Verum enim vero intuiti, quae de Chaeridis studiis Aristophaneis traduntur quaeque sunt paucissima (ter in scholiis huius poetae vocatur) vix sagacissimum

35) l. c. p. 65.

Pindari criticum cognoscimus, ut fieri non possit, quin iudicium, quod de Chaeride interprete fecimus, quodammodo moderemur laudemque coerceamus, nisi forte, ut famam grammatici integram tueamur, curas Aristophani navatas ad umbilicum redactas esse negamus. Quodsi ita esset, facile evenire potuit, ut Chaeridis filius *Ἀπολλώνιος*³⁶⁾ pariter studiis poetarum interpretatoriis occupatus ab Homero ad Aristophanem ductus patris commentarios compleret limaue persequeretur. Sed redeamus, unde egressi sumus: haud magni momenti est schol. Vesp. 674,³⁷⁾ ubi ad interpretationem vocis *κήθιον* vocamur, quod Chaeris et Euphronius *τρυβλίου τι εἶδος* enodabant. Sed prorsus absurdum, paene dixi scurrile est schol. Ran. 1028, quod Chaeridem Aristophanis enarratorem deridiculum et damnatione acerbissima dignum praestat. Ipse igitur, ne nimis acriter me iudicantem existimaveris, istius hario lationes audias. Codd. verba vss. 1028 sq:

*ἐχάρην γοῦν ἤνικ' ἤκουσα περὶ Δαρείου τεθνεῶτος,
ὁ χορὸς δ' εὐθὺς τῷ χειρ' ὠδὶ συγκρούσας εἶπεν ἰανοῖ,*
quae ad Aeschyli *Persas* tendunt, metro ac sententiae repugnare foedeque corrupta esse manifestum fit causis, quas Aristophanis commentator ineunte scholio explicat:
. . . . *Ἐν τοῖς φερομένοις Αἰσχύλου Πέρσαις οὔτε Δαρείου θάνατος ἀπαγγέλλεται οὔτε χορὸς τὰς χεῖρας συγκρούσας λέγει ἰανοῖ, ἀλλὰ τὰ μὲν πράγματα ὑπόκειται ἐν Σούσοις καὶ περίφοβός ἐστιν ἢ μήτηρ Ξέρξου ἐξ ὄνειρου τινός· χορὸς δὲ Περσῶν γερόντων διαλεγόμενος πρὸς αὐτήν, εἶτα ἄγγελος ἀπαγγέλλων τὴν περὶ Σαλαμίνα ναυμαχίαν καὶ τὴν Ξέρξου φηγήν.* Quomodo Aristophanis verba emendanda vel interpretanda essent, iam veteres

36) De quo vid. p. 49 sq.

37) Nam 672 num. apud Blauium l. c. p. 61 erratum videtur.

interpretes, quorum in numero versantur Herodicus, Didymus alii magnopere rixabantur; in his Chaeris prae ceteris prodit, qui hanc sententiam perabsurdam in medium profert: *τό Λαρείου ἀντί τοῦ Ξέρξου σὺνηθες γὰρ τοῖς ποιηταῖς ἐπὶ τῶν υἱῶν τοῖς τῶν πατέρων ἰνόμασι χρῆσθαι.* Sed statim verbis castigatur ab eodem scholiasta: *πρὸς ὃν ἔστιν εἰπεῖν, ὅτι ἐν τῷ δράματι λέγεται 'Ξέρξης μὲν αὐτὸς ζῆ τε καὶ βλέπει φάος.'* Et repetuntur iterumque refutantur Chaeridis ineptiae in altera scholii particula post ἄλλως, ubi Didymus grammaticorum sententias dirimit, quem locum fortasse recte Fritzschius³⁸⁾ correxit in hunc modum: *τινὲς δὲ Λαρείου ἀντί τοῦ Ξέρξου, ὅτι τοῖς πατρωνυμικοῖς ἀντί τῶν κυρίων κέχρηται, οἱ δέ, ὅτι ζῆ ἔτι ὁ Ξέρξης, καὶ ὅτι εἰδωλον Λαρείου φθέγγεται ἐκεῖ, τεθνηκότος δηλονότι.*³⁹⁾ Qua quidem ratione verba Aristophanis depravata sanari possint, adhuc sub indice lis est; ex emendationum nube, quam recc. excusserunt, nulla est, quae ab omnibus sit probata. Sed utcumque iudicatur, neminem opinor fore, cui immerito Chaeridem obiurgasse videar quod licentiae, quae poetarum est, tribuit ipsis nominibus propriis pro patronymicis uti. Cuiusmodi nugas, quae non sunt severi sobriique critici, qualem eum ceteroquin fuisse infitias iri nequit,

38) In edit. Ran. p. 333


39) Verba scholii ipsius haec sunt: *τινὲς δὲ γράφουσι Λαρείου τοῦ Ξέρξου, οἱ δέ, ὅτι τοῖς κυρίοις ἀντί τῶν πατρωνυμικῶν κέχρηται καὶ ὅτι [ἔστι] ὁ Ξέρξης. οἱ δέ, ὅτι εἰδωλον Λαρείου φθέγγεται, ἐκεῖνον [ἐκεῖ em. Dobr.] τεθνηκότος δηλονότι.* Hic nonnulla turbata vel corrupta esse per se patet; itaque Blavius l. c. p. 62 adn. 2 aut *Λαρείου* ante *Ξέρξου* delendum aut *ἀντί* ante id inserendum proponit; praeterea commendat cod. *Θ* script. *καὶ ἔστιν ὁ Ξέρξης.* Sed multo est commendabilius loco cum Fritzschio, ut modo fecimus, graviorem medicinam afferre.

etiam scholiographus pluribus redarguere magisque reprehendere debuit.

Jam res eo deducta est, ut perorari possit: affatim demonstrasse mihi videor, duos grammaticos, Charetem Chaeridemque, distinguendos esse, Charetem, scilicet grandiozem, Apollonii satellitem et Crateteorum secta, ut videtur, non alienum Chaeridem nempe minorem, Homeri interpretem ac fortasse Aristarcho propiorem.


Alteram partem dissertationis (Alexionis grammatici fragmenta, quae supersunt) propediem edendam curabo.

♦♦♦



Sententiae controversae.

1. Colonos Atticos, qui Aristot. Ἀθην. πολ. cap. II aliisque locis ἐκτήμεροι vocantur, quinque partes agelli redituum patronis reddidisse, sextam tantum retinuisse contendo.
 2. Herond. mim. I, v. 18 lacunam sic explendam esse censeo:
ἰσχύομεν γάρ, Γυλλί, χήτερους ἄγγειν.
 3. In fine Tacit. annal. lib. XI. lacuna non exstat.
-



Vita.

Ricardus Woldemarus Berndt natus sum a. d. VI. Kal. Jun. anni pr. saec. LXXVIII in oppido Borussiae orientalis, cui nomen est Allenstein, patre Ricardo, matre Rosa e gente Marx, quibus adhuc vivis ex animi sententia laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in scholis publicis et privatis imbutus inde a vere anni LXXXIX gymnasium regium urbis patriae frequentavi; praeceptorum, qui ibi me litteris erudiverunt, memoriam carissimam hoc ipso loco recolere iuvat. Vere anni LXXXXVIII maturitatis testimonium adeptus Regimontium migravi, ut in alma litterarum universitate Albertina per novies sex menses studiis philologicis et historicis operam navarem. Regii philologorum proseminarii Regimontani sodalis fui per annum, per sex semestria seminarii, per tria senior; idem Germanico seminario, quod Osc. Schade, viri honestissimi et venerandissimi, auspiciis viget, atque historico, cui Fr. Ruehl, vir humanissimus, praeest, per triennium sodalis interfui. Praeterea me benigne admiserunt viri doctissimi et liberalissimi Otto Rossbach exercitationibus archaeologicis, Aug. Brinkmann (nunc Bonnensis) epigraphicis, Franc. Ruehl palaeographicis, Lud. Busse philosophicis, Guil. Uhl theoticis. Item summam gratiam debeo Ludov. Jeep, Aug. Brinkmann, Joanni Tolkiehn, viris clarissimis, per quos latine

et graece scribendi ac loquendi exercitationum participem esse mihi licuit.

Docuerunt me viri illustrissimi:


*Baumgart, Bexzenberger, Brinkmann, Busse,
Erler, Jeep, Ludwich, Prutz, Rossbach, Ruehl,
Schade, Schubert, Tolkiehn, Uhl, Umpfenbach,
Waller,*

quibus viris omnibus optime de me meritis hac occasione data maximas ago gratias, imprimis autem Arthuro Ludwich, praeceptori meo dilectissimo, qui omni modo atque tempore et opera et consilio me adiuvit, necnon Ludovico Jeep, Ottoni Rossbach, Oscaro Schade, Francisco Ruehl, Augusto Brinkmann, quos nunquam grato animo colere desistam.

Restat, ut commemorem Ernestum Hohmann, amicum carissimum, qua liberalitate in hoc opusculo perpoliendo mihi praesens promptusque fuit, summa sibi gratia me obligasse.


Examen quod dicunt rigorosum a. d. IV. Kal.
Nov. h. a. absolvi.





APR 18 1977

5775
CANCELED
OCT 6 7 11 AM '77



G 756
De Charete, Chaeride, Alexione gram
Widener Library 004330960



3 2044 085 078 608

